

1333.

1410 d. 28 Juli.

Bologna.

Päfven Johannes XXIII utlofvar aflat åt dem, som på vissa tider besöka Lunds domkyrka.  
Orig. på perg. i Sv. Riksark.

Johannes episcopus, seruus seruorum Dei, uniuersis christifidelibus presentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. Licet is, de cuius munere uenit, ut sibi a suis fidelibus digne et laudabiliter seruiatur de abundantia sue pietatis, que merita supplicum excedit et uota bene seruientibus sibi multo maiora retribuat, quam valeant promereri, nichilominus tamen desiderantes Domino populum reddere acceptabilem et bonorum operum sectatorem, fideles ipsos ad complacendum sibi quasi quibusdam alliectius muneribus, indulgentiis scilicet et remissionibus, inuitamus, ut exinde reddantur diuine gratie aptiores. Cupientes igitur ut ecclesia Lundensis cōgruis honoribus frequentetur et ut christifideles eo libentius causa deuotionis confluant ad eandem et ad conseruationem ipsius manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli, apostolorum eius, auctoritate confisi, omnibus uere penitentibus et confessis, qui in nativitatis, circumcisionis, epiphanie, resurrectionis, ascensionis et corporis domini Jhesu Christi, ac pentecostes et nativitatis, annuntiationis, purificacionis et assumptionis beate Marie virginis, nativitatis beati Johannis Baptiste ac Petri et Pauli apostolorum predictorum et sancti Laurencii martiris et dicte ecclesie dedicacionis festiuitatibus ac celebritate omnium sanctorum necnon predictorum nativitatis, epiphanie, resurrectionis, ascensionis et corporis Domini ac nativitatis et assumptionis beate Marie et nativitatis beati Johannis et apostolorum predictorum festiuitatum octauas et per sex dies dictam festiuitatem pentecostes immediate sequentes eandem ecclesiam deuote uisitauerint annuatim et ad huiusmodi conseruationem manus porrexerint adiutrices, singulis uidelicet festiuitatum et celebritatis septem annos et totidem quadragenas, octauarum uero et sex dierum predictorum diebus, quibus ecclesiam ipsam uisitauerint et ad huiusmodi conseruationem adiutrices manus porrexerint ut prefertur, centun dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Volumus autem quod si alias uisitantibus dictam ecclesiam uel ad eius conseruationem seu fabricam manus adiutrices porrigentibus aut alias inibi pias elemosinas erogantibus seu alias aliqua alia indulgentia imperpetuum uel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, presentes littere nullius existant roboris uel momenti, presentibus post decennium minime ualituris. Datum Bononie, v kalendas Augusti, pontificatus nostri anno primo.

xxiii

Gerlacus.

P. de Magio

F. de Montepoliciano.

Pro P. Suermont.

H. de Piro.

På frånsidan: Fl. xij, g. v. Litera indulgenciarum ecclesie Lundensis. Soluit michi Francino.

Blybullan vidhänger.